

02 H 606



DISSERTATIO IVRIDICA  
DE  
VARIIS CASVS IN FORO  
OBVIOS DECIDENDI MODIS  
IN GENERE

---

QVAM  
PRAESIDE

VIRO CONSVLTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

DANIELE NETTELBLADT

POTENTISS. BORVSSOR. REGI A CONSILIIS AVLICIS 1780. 20.

ET PROFESSORE IVRIS ORDINARIO

D. V. SEPT. MDCCL.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIANVS LVCAS WERNER

HASSO-MARBVRGENSIS.

---

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

3)





## LECTORI BENEVOLO S.



Quo magis Icti negligere solent veritates iuridicas generalissimas, sique utilissimas: eo magis necessarium esse iudico, eas diligenter excoli. Permutit hoc C O N S. D N. P R A E S I D E M vt systemati elementari vniuersae iurisprudentiae positivae praemitteret nouam quandam iurisprudentiae partem, in qua primas lineas harum generalissimarum veritatum ducit, quamque appellat, iurisprudentiam positivam generalem. Idem etiam mihi auctor suasorque fuit, vt aliquam ad hanc iurisprudentiae partem pertinentem doctrinam in speciali dissertatione vterius euoluendam sumerem, &

A 2

qui-



quidem particulam quandam doctrinae de casuum decisione, praeprimis eam, de casuum decisione secundum analogiam. Manum itaque admouebam huic labori, quo facto statim animaduerti generalia, de variis casus decidendi modis, praemittenda esse, hincque in illos varios decidendi modos inquirere incepi. Cum vero quae de his dicenda erant, in tam angustum locum congerere haud licuerit, quam quidem cogitaueram, filum fuit abrumpendum, priusquam ad ipsum thema, quod mihi tractandum sumseram, peruenire licuit. Et sic iam, mutato consilio, totam hanc dissertationem absoluunt, quae de variis casus decidendi modis praemittere constitueram tractationi de decisione casuum secundum analogiam. Interim tamen D.N. P R A E S E S mihi spem fecit, quod successiue de singulis casus decidendi modis: nimurum 1) de decisione casuum pro auctoritate; 2) de decisione casuum secundum arbitrium iudicis; 3) de decisione casuum secundum strictum ius & secundum aequitatem; 4) de decisione casuum secundum argumentum ex lege; 5) de decisione casuum secundum analogiam in tot specialibus dissertationibus agere velit, quam spem, ut mox impleat, opto. Si ego vero qua in re humani aliquid passus sum, veniam dabis L. B. eo facilius, quo certius est, me hic versatum esse in themate, quod nondum ita exultum, ut aliorum vestigia legere potuerim, hincque errandi periculo quam maxime expositus fuerim.

---

CON-



## C O N S P E C T U S T O T I V S D I S S E R T A T I O N I S .

- §. 1. *Casus definitio.*
- §. 2. *Differentia inter casus determinaciones intrinsecas & extrinsecas determinatur.*
- §. 3. *Casum esse totum euincitur.*
- §. 4. *De differentia inter casum ipsum & circumstantias.*
- §. 5. *Casum decidere quid sit.*
- §. 6. *Modus decidendi casus definitur.*
- §. 7. 8. *De diuisione casum in eosdem & diuersos, horumque in similes & dissimiles subdivisione.*
- §. 9. *De diuisione casum in decisos in lege, & in lege non decisos.*
- §. 10. *Casum in lege decisorum subdivisio in casus in ipsa lege decisos & occasione legis decisos explicatur.*
- §. 11. *De subdivisione casum in ipsa lege decisorum in casus in terminis decisos, vel non.*
- §. 12. *De subdivisione casum occasione legis decisorum in casus per casum similem vel dissimilem decisos.*
- §. 13. *De differentia casum prout vel ad leges naturales, vel ad leges positivas referuntur.*
- §. 14. *De diuisione casum in certos & incertos.*
- §. 15. *Ratio ordinis indicatur.*
- §. 16. 17. *De decisone quae sit pro auctoritate.*
- §. 18. 19. *De decisone quae non sit pro auctoritate.*
- §. 20. *De decisone casum per applicationem legum naturalium.*
- §. 21. *De decisone casum per applicationem legum positivarum in genere.*
- §. 22. 23. *De decisone casum secundum arbitrium iudicis.*
- §. 24. 25. *De decisone casum secundum legem in genere.*
- §. 26. 27. *De decisone casum secundum legem ipsam vel secundum strictum ius, vel secundum aequitatem.*
- §. 28. 29. *De decisone casum secundum argumentum ex lege, tam de in specie sic dicta, quam de decisone secundum analogiam.*

A 3

§. I.

**Casus** siue **factum** est actio omnimode determinata.

Sic e. g. furtum committere non est casus, cum haec actio non omnimode determinata sit. Si vero determinatur a quo, quo tempore, quo loco, quibus auxiliis furtum commissum, & quid, & quale sit furto ablatum, prodit casus.

**§. II.**

Cum casus sit actio omnimode determinata (**§. praec.**): **casum variae determinationes constituant.** Haec determinationes vero sunt in genere duplicis generis, vel tales nimirum, quae sunt actus interni & externi simplices, qui compositam actionem ingrediuntur, quae appellantur *determinationes intrinsecæ*; vel tales quae ex accidente superueniunt, ast tamen ad determinandam actualitatem seu moralitatem actionis aliquid conferunt, quae appellantur *extrinsecæ*.

Ponamus casum quo Titius commodauit Mevio Halæ equum ut eo vteretur usque Berolinum, & tum, nulla culpa Meuii interueniente, in ipso hoc itinere deteriorem equum factum esse. In hoc casu determinationes hæc: 1) *Titium commodasse Mevio equum*; 2) *bunc equum deteriorem factum esse*, pertinent ad determinationes intrinsecas casus. Ast determinationes sequentes: 1) *Titium præcisè Halæ commodasse Mevio equum usque Berolinum*; 2) *in ipso hoc itinere equum esse deteriorem factum*; 3) *sine Meuii culpa hoc contingere*, pertinent ad determinationes extrinsecas.

**§. III.**

Ex his datis definitionibus statim patet: *Casum esse totum ex determinationibus intrinsecis & extrinsecis tanquam suis partibus compositum.*

**§. IV.**

Nec minus ex his quae de casus determinationibus intrinsecis & extrinsecis dicta sunt, distincte explicari potest, quae

quae sit differentia inter casum ipsum & circumstantias casus. Complexus determinationum intrinsecarum enim constituit *casum ipsum*, & quaelibet determinatio extrinseca dicitur *circumstantia*.

§. V.

*Casum decidere* dicitur, qui determinat iura & obligationes, quae in casu quodam dato obtinent.

Differunt omnino inter se applicatio iuris ad factum & casus' decisio. Est enim, si nominalem amas definitionem, applicatio iuris ad factum collatio facti seu casus cum lege; aut, si realem definitionem postulas, actus quo praedicatum propositionis legem enunciantis, de subiecto propositionis casum seu factum enunciantis, praedicatur. Patet itaque potius mediante applicatione iuris ad factum casuum decisionem fieri, quam quod ipsa applicatio sit ipsa decisio. Verba: applicatio iuris ad factum & casuum decisio differunt ut causa & effectus.

§. VI.

Qui casum decidit, is determinat iura & obligationes, quae in casu quodam dato obtinent (§. *praec.*). Ut vero hoc determinari possit, mox hoc, mox alio medio vtendum est, & haec media diuersa, quibus vtendum est, si determinandum est, quae iura & obligationes in quolibet casu dato obtinent, constituunt diuersos casus decidendi modos.

Cum itaque de variis casus decidendi modis agendum sit, diuersa haec media sunt indaganda. Differunt vero ea, pro varia casuum diuersitate, vnde de ea ante omnia agendum erit a §. 7. vsque ad §. 13. tumque ipsa haec diuersa media determinanda, indeque ipsi variis casus decidendi modi deducendi a §. 15. vsque ad §. 29. Diuersae casuum divisiones autem hic notandae sunt tres, quarum prima, est divisio casuum in eosdem & diuersos, de qua (§. 7. 8); secunda, divisio casuum in casus in lege decisos, & non decisos, de qua (§. 9.

8 *Dissertatio iuridica de variis casus in foro*

(§. 9. 10. 11. 12. 13.); tertia, diuisio casuum in certos & incertos, de qua (§. 14.) agendum.

§. VII.

Duo vel plures casus ad se inuicem relati sunt vel *iidem casus*, vel *diverſi*. Dicuntur vero *casus iidem* si omnes reliquae determinationes casum constituentes, praeter determinationes individualis, conteniunt. *Diverſi* autem dicuntur *casus*, si etiam reliquae determinationes casum constituentes, praeter individualis, non conueniunt. Cum vero determinationes casum constituentes vel intrinsecæ sint, casum ipsum constituentes, vel extrinsecæ, circumstantias constituentes (§. 4.): *ut casus unus sit idem casus cum altero, tam determinationes intrinsecas quam extrinsecas, quatenus non sunt individualis, seu quod idem est, tam casus ipsos, quam circumstantias conuenire necesse est, & minima circumstantia casum variat, hoc est, facit casum esse diversum.*

Constat ex Ontologia eadē vel esse absolute eadem, vel respectiue eadem, & eadem absolute talia non existere. Identitas itaque, que de casibus duobus aut pluribus ad se inuicem relatis praedicari potest, non nisi respectiue talis est, seu, quod idem est, casus iidem non nisi respectiue eadem constituent. Cum vero casus quilibet sit individualis, sive in eo obueniant determinationes individualis, hae vero nunquam conuenire possunt, ad hanc respectiua identitatem, quae tantum possibilis est, sufficit quoad reliquas determinationes praeter individualis casis conuenire. Pone e. g. duos casus sequentes. Primus hic sit: Cornelius Capricornius habens caprum A. ingentis magnitudinis & roboris, vtitur eo ad instar equi curru iuncti cum quo in vrbe L. vebitur. Hac vectura, vt re minus honesta & scandalaſa, offenditur eius confessorius Caius, cuius conscientiae scrupulus initetur, vtrum etiam Capricornum, si ea non abstineat, ad publicam confessionem & synaxin admittere posse. Quae ritur itaque quid hoc in casu iuris sit? Secundus casus hic sit: Petrus Blasius habens caprum B. (&c. vt ante) in vrbe H. (&c. vt ante)

5

*E* offenditur eius confessionarius *Stichus* (&c. vt ante). Hi duo casus conueniunt in omnibus determinationibus, nisi quod in primo casu, qui vehitur, sit *Cornelius Capricornus*, caper quo vehitur sit *caper A.* locus vbi vehitur sit *urbs L.* & confessionarius qui offenditur sit *Caius*: in secundo casu vero, qui vehitur, sit *Petrus Blasius*, caper quo vehitur sit *caper B.* locus vbi vehitur sit *urbs H.* confessionarius qui offenditur sit *Stichus*. Hae determinationes quae non conueniunt vero sunt determinationes individuales, hinc hi casus sunt casus iidem. Ast casus quo *Titius committit furtum rerum ecclesiasticarum cum effractione peractum*: & casus quo *Sempronius sine effractione Caio dormienti horologium suum furto aufert*, sunt casus diversi.

### §. VIII.

Cum in casibus diuersis etiam aliae determinationes, praeter individuales, non conueniant (§. 7.), hae determinationes aliae aut erunt determinationes tales, quae influunt in decisionem casus, aut tales non sunt. In priori casu eas appello *ad decisionem necessarias*: in posteriori vero, *ad decisionem non necessarias*. Casus diuersi ipsi itaque, prout disconuenientia determinationum non individualium vel in necessariis, vel tantum in non necessariis determinationibus obuenit, vel *dissimiles*, vel *similes* sunt.

Iam praeuideo fore multis qui mihi vitio vertent, quod casuum diuerformum species constituam casus similes & dissimiles. Scio haec non satis cohaerere cum notionibus ontologicis de eodem & diuerso, simili & dissimili, & tamen, quantum fieri potest, notiones iuridicas notionibus ontologicis subordinandas esse. Cum vero in scholis Ictorum & in foro receptus loquendi usus, non satis hic conueniat cum notionibus ontologicis, aut circuli philosophorum, aut circuli Ictorum turbandi erant, & meum omnino erat potius philosophorum, quam Ictorum círculos turbare. Ut vero notiones datas exemplo illustrem, addas velim in casu primo, in scholio ad §. praeceps, circumstantiam: *caprum A. Cornelio Capricorno esse donatum*:

B

&amp;

& in secundo, Petrum Blasum caprum B. emisse, tum casus h̄i erunt diuersi, ast, cum in decisionem casus plane non influat, siue caper sit donatus, siue sit emtus, casus hi diuersi tamen erunt similes. Porro casus quo Titius Meuius commodato dat equum Halae vt eo vteretur usque Berolinum isque in ipso hoc itinere sine culpa Meuii deterior factus: & casus quo Caius Sticho lector commodato dat, siue in ipso vsu concessio sine culpa Stichi sunt deterioriores, sunt casus diuersi, ast tamen similes; cum omnes determinationes, quae praeter individuas non conueniunt, sint determinationes ad decisionem non necessariae. Ast muta in casu de lectis commodatis eam circumstatiā, quod sine culpa Stichi lecti sunt deteriorati, & pone eos culpa eius esse deterioratos, tum hi casus non amplius erunt casus diuersi qui similes sunt, sed potius nunc sunt casus dissimiles. Haec determinatio enim influit omnino in decisionem casus, sive ad decisionem necessaria est. Sunt porro casus quo Imperator imperii feudum maius apertum reinfusat; exspectatiū in tale concedit; pactum successorium super eo initium confirmat; testari de eo permittit vaſſalo; adoptionem ad effectum in illud succedendi confirmat, casus omnino diuersi: ast tamen omnes sunt similes. Casus vero quo Titius committit furtum cum effractione; Caius furtum committit sine effractione; Stichus adulterium committit; Iauolenus pacem publicam frangit, sunt casus diuersi qui dissimiles sunt.

### §. IX.

Absoluta prima casuum diuisione (vid. Schol. ad §. 6.), sequitur secunda, secundum quam omnes casus in relatione ad leges sunt in genere aut *casus in legibus decisi*: aut *casus in legibus non decisi*. Dicitur nimirum casus *in legibus decisus*, si adest lex ex qua cognosci potest legislatoris voluntas, quae iura, quasque obligations in casu decidendo obtinere velit. Talis lex vero si non adest, casus dicitur *in legibus non decisus*.

Aliud est *leges casum obuium decidere*, & *casum esse casum in legibus decimus*. Proprie enim dici nequit leges casum decidere, cum non

non loquuntur de actionibus omnimode determinatis, sive non de ipsis casibus, sed tantum de genere & specie casuum. Ast casus quem lex non decidit, potest tamen esse casus in legibus decisus, cum, ut casus in legibus decisus casus sit, sufficiat ex lege intelligi posse quae iura & obligationes in casu obuio obtinere legislator velit. Hinc lex ad factum seu casum applicanda a iudice, si casus decidendus est, hocque dum facit iudex, is potius, quam lex determinat iura & obligationes, quae in dato casu obtinent. Lex enim in genere per propositiones vniuersales determinat iura & obligationes, & iudex in casu dato per applicationem legis determinat iura & obligationes quae in illo casu obtinent. E. g. pone Titium falsae monetae crimen commisso, tum proprie dici haud posset hunc casum decidere *Art. CXI. C. C. C.* et si casus in hac lege decisus. Nimirum determinat ea in genere iura & obligationes quae falsae monetae crimine commisso obtinent, ex ea itaque determinat index iura & obligationes in casu obuio, quo Titius hoc crimen commisit. Et quid quaequo opus esset iudice, si leges casus obuios deciderent? Quid opus esset applicatione legis ad factum?

### §. X.

Vt casus sit casus in lege decisus, requiritur adesse legem ex qua cognosci potest voluntas legislatoris, quae iura, quasque obligationes in casu quodam dato obtinere velit (*§. praec.*). Talis lex vero aut loquitur de casu, cum eo, qui decidendus, eodem: aut loquitur de casu, ab eo, qui decidendus, diuerso: si prius, casus in legibus decisus dici potest *casus in ipsa lege decisus* seu *casus expresse decisus*: si vero posterius, casus in legibus decisus, *casus occasione legis decisus* seu *casus tacite decisus* appellari potest.

Pone casum sequentem. *Titius commodauit Meuius Halae equum vt eo vteretur usque Herolinum, & tum nulla culpa Meuii interueniente, in ipso hoc itinere, deteriorem equum factum esse.* Quaeritur ergo an Meuius commodati teneatur? Hic casus est casus in legibus ipsis, seu expresse decisus, nimirum in *L. fin. ff. commodat.* his

concepta verbis: *si commoda uero tibi equum, quo uetereris usque ad certum locum si nulla culpa tua interueniente, in ipso itinere deterior factus sit equus, non teneris commodati.* Ex ipsa itaque hac lege apparet legistatorem velle in dato casu Meum non teneri commodati. Ast pone casum sequentem: *Caius qui iam separatum oeconomiam instituit, cum fratre Sticho, qui in eo est ut academiam studiorum gratia adeat, diuidit hereditatem maternam, & inter alias res etiam lectos.* Cum vero Stichus nondum indiget lectis sibi in diuisione assignatis, potenti fratri Caio in usum oeconomiae suae illos commodato dat, hique lecti per ipsum illum hunc usum, nulla Caii culpa interueniente, sunt deteriores: Quaeritur itaque an Caius teneatur commodati? Hic casus nec in l. fin. ff. commodati, nec in alia quadam lege, quantum ego quidem scio, est expresse decisus, cum ex ipsa illa l. fin. ff. commodati non appareat quomodo casus decidendus sit. Tacite tamen per hanc legem est decisus, cum casus de equo commodato, & hic, Similes sint.

### §. XI.

Si casus in legibus decisus, est casus in ipsa lege decisus, aut lex in qua decisus est loquitur de genere casuum, sub quo casus decidendas tanquam individuum contentus: aut lex loquitur de specie casuum, sub qua casus decidendus tanquam individuum contentus est. Si posterius, casus in ipsa lege decisus dici potest, *casus in terminis decisus*: & si prius, *casus in terminis non decisus*.

Ponamus casum sequentem. *Titius heres institutus in testamento legatis est grauatus, vt ne quidem quartam partem hereditatis saluum haberet, si legata integra soluerat; ex ignorantia iuris integra legata soluit, & ex post facta quartam Falcidiā detrahere vult.* Hic casus est talis qui in legibus expresse decisus, nimur in l. 7. & l. 9. ff. 5. ff. de iur. & facti ignor. & quidem in cit. l. 9. §. 5. est in terminis decisus, in cit. l. 7. vero etiam quidem decisus est, ast non in terminis. Videlicet l. 7. his concepta est verbis: *Iuris ignorantia non prodest acquirere volentibus, suum vero potentibus non nocet:* in l. 9. §. 5. vero dicitur: *si quis ius ignorans lege Falcidia usus*

*vñus non sit, nocere ei dicit epistola Diui Pit.* Loquitur itaque manifesto prima harum legum de genere casuum, sub quo casus propositus tanquam individuum contentus est; posterior vero loquitur de specie casuum, sub qua casus propositus tanquam individuum contentus est.

## §. XII.

Si casus in lege decisus, non quidem in ipsa lege, sed tamen occasione legis decisus est; sicque lex in qua decisus loquitur de casu diuerso (§. 10.), is casus diuersus aut est casus cum eo, qui occasione legis decisus, similis; aut est casus cum eo, qui occasione legis decisus, dissimilis. Si prius, casum occasione legis decisum appello *casum per casum similem decisum*. Si vero posterius, casum occasione legis decisum appello *casum per casum dissimilem decisum*.

Nemo dubitabit occasione legis posse decisum esse casum cum eo, de quo lex loquitur, similem; sed an idem etiam dici possit de casu ab eo, de quo lex loquitur, dissimili, de eo forsitan dubitant multi. Ast salua res est. Fieri enim omnino potest ut ex lege, ope rationis, per legitimas consequentias deduci possit propositio noua, in qua, tanquam in noua lege, decisus casus dissimilis maxime a legis, ex qua deducitur propositio, casu. Praefens institutum vero non permittit de hoc themate iam plura addere, hincque sufficiat exemplo, quae dicta sunt, illustrare. Pone casum quo *Titius dominus territorialis, nullo priuilegio imperatoris munitus, eudit monitam, prouocans ad superioritatem territorialiem*. Quæritur itaque: an iure agat Titius? Hic casus, quantum ego quidem scio, in nulla lege est expresse decisus, ast tacite decisus est omnino in *Capit. nou. Art. 9. §. 6. verbis sequentibus: Wir sollen und wollen auch hinsüber ohne Vorwissen und absonderliche Einwilligung der Churfürsten und Vernehnung --- niemand wes Standes oder Wefens der seye mit Müntz-Freyheiten oder Müntz-Stätten begaben und begnadigen*. Per se patet casum de quo loquitur lex, & casum propositum, plane dissimiles casus esse; sicque in ipsa hac lege casum decisum non esse.

B. 3

Art

Ast tamen occasione huius legis, casus propositus simul est decisus. Cum enim in dicta lege Imperatori modus praescriptus, in concessione priuilegii cedendi monetam obseruandus, sequitur manifesto, ius cedendi monetam esse ius quod priuilegium ab imperatore impetrandum inuolutum. At enim vero ius, quod priuilegium ab Imperatore impetrandum inuolutum, ius ex superioritate territoriali fluens esse, impossibile est; hincque ius cedendi monetam non est ius ex superioritate territoriali fluens. Vnde fluit porro: qui priuilegio imperatorio non est munitus, licet dominus territorialis sit, ei non competit ius monetandi. En nouam quasi legem, per ratiocinationem ex Art. alleg. Capit. inventam, in qua casus propositus decisus. Est itaque casus propositus exemplum casus, occasione legis per dissimilem casum decisi. Ast pone casum sequentem: *Moritur Titius vasallus imperii ultimus suae gentis, relinquens principatum feudalem, & Caium ut pacti successorii a solo imperatore Carolo VI. sine Electorum & Principum imperii consensu, confirmati succedere velle.* Quaeritur itaque; an habeat ex hoc pacto ius succedendi? Hic casus iterum in nulla lege est expresse decisus, ast tacite tamen per Art. XI. Capit. Carol. VI. est decisus, verbis: *Wann auch inskünftige Leben dem Reiche durch Todes - Faelle oder Verwürckung eroefnet und lediglich beimsfallen werden, so etwas merckliches ertragen: als Churfürstenthümer, Fürstenthümer, Graffschäften, Herschaften, Staedte u. dergleichen, die sollen und wollen wir, die Churfürstenthümer ohne des Churfürstlichen Collegii, die Fürstenthümer, Graff- und Herschaften, Staedte und dergleichen aber, ohne deren Churfürstlichen, Fürstlichen auch: (wenn er naemlich eine Reichs - Stadt betreffen thut) Staedtischer collegiorum Vorwissen, und Consens, ferner Niemanden leiben auch Niemanden einige Exspectanz und Anwartung darauf geben.* Casus enim quo imperator reinfeudat aut exspectatiuam concedit; & quo confirmat pactum successorum, sunt casus similes; hincque per hos similes casus expresse decisus, tacite decisus est casus propositus. Similiter occasione l. fin. ff. commod. decisus est casus de lecis commodatis, supra in schol. ad §. 10. propositus.

## §. XIII.

## §. XIII.

*In relatione ad leges naturales omnes casus sunt in legibus decisi casus, & quidem tales, qui in ipsis legibus decisi casus sunt. In relatione ad leges positivias vero, alii casus sunt casus in legibus decisi, alii in legibus non decisi: ita vt casus in legibus decisi, vel sint casus in ipsa lege decisi, & quidem vel in terminis, vel non, vel casus occasione legis decisi, & quidem vel per casum similem, vel per casum dissimilem. Leges naturales enim sunt completae leges; hincque omnes casus in iis sunt decisi, & quidem, cum leges naturales sint per rerum naturam & essentiam constitutae leges, ita, vt omnes casus in ipsis legibus decisi casus sint. Quod erat primum.*

Leges positiviae vero sunt leges incompletae; hincque non omnes casus in iis sunt decisi, & per consequens, in relatione ad leges positivias, alii casus sunt casus in legibus positivis decisi, alii vero sunt casus in iis non decisi: ita vt, cum leges positiviae sint per voluntatem entis rationalis immediate constitutae leges, & ens rationale non semper uno eodemque modo voluntatem declarat, sed potius tot diuersis modis eam declare possit, quod diuersis modis declaranda, vt casus, iuxta definitiones in antecedentibus datas, aut hoc, aut alio modo in legibus decisis dici possit, casus decisi in relatione ad leges positivias vel sint casus in ipsa lege, & quidem vel in terminis, vel non decisi, vel casus occasione legis, & quidem vel per casum similem, vel per casum dissimilem decisi. Quod erat secundum.

Etsi non sit huius loci, de ea diversa qualitate legum naturalium & positivarum, quod illae sint completae, haec vero incompletae, pluribus hic agere, non possum tamen non quia moneam, aliam quae-



quaestionem esse: *an leges positivae sint completae?* aliam vero: *an possint esse completae?* Quod non sint completae, experientia teste, de omnibus legibus positivis, sive sint diuinae, sive humanae, valet. Quod vero nec possint esse completae, de legibus positivis humanis quidem etiam valet, non vero de legibus positivis diuinis.

#### §. XIV.

Sequitur iam tertia casuum differentia hic (*vid. schol. ad §. 6.*) notanda, secundum quam diuiduntur in *certos & incertos casus*. Videlicet, si casus obuius decidendus, non nunquam contingit occurrere quaestionem facti, ita dubiam, ut veritas certa haberi nequeat, a qua tamen ipsa casus decisione dependet. Hinc patet casus etiam ita differre, quod alii tales sint in quibus occurrit quaestio facti a qua decisione casus dependet, quae ita dubia, ut veritas certa haberi nequeat, quos appello *incertos casus*; alii vero tales non sint, quos appello *casus certos*.

Pone mortuum esse Sempronium, eique tam Caium quam Meium ab intestato succedere velle in totam hereditatem. Oritur itaque lis, uterque cognationem cum Sempronio probare vult, ast probationale absolute certum quidem est, Caium & Meium cum Sempronio in linea collaterali cognatos esse, neuter vero probare potest, quod sit gradu proximior, nec etiam probari potest quod sint gradu pares. Hic casus esset casus incertus. Si vero unus aut alter horum litigantium probare posset gradus cognationis proximitatem, casus esset casus certus.

#### §. XV.

Cum iam, praemissis praemittendis, de ipsis variis, decidendi casus in foro obuios, modis, agendum sit; ante omnia praemittendum esse duco, quod dentur diuersitates inter casus obuenientes, ad quas respiciendum in determinandis diuersis, casus obuenientes decidendi, modis. Distinguuen-

guendum nimirum est I) an casus sit *incertus*, an vero *certus*. II) An per *applicationem legum naturalium*, an vero per *applicationem legum posituarum* sit decidendus. Tumque in posteriori casu distinguendum, an sit casus in *lege decisus*, an vero *non*, si est casus in *lege decisus*, an sit casus in *ipsa lege seu expresse decisus*, siue in *terminis*, siue *non*: an vero sit casus *occasione legis seu tacite in lege decisus*, siue per casum *similem*, siue per casum *dissimilem*.

### §. XVI.

*Si casus decidendus est incertus casus, per applicationem legum, in quibus certi casus sunt decisi, decisio fieri nequit: sed potius tum per applicationem legum, quae determinant, quomodo casus incerti decidendi sint, decisio facienda.* Ut enim legis, in qua certus casus decisus, applicatio ad casum obuium fieri possit, ad minimum requiri, ut constet qualis casus sit casus decidendus, ex ipsa definitione applicationis iuris ad factum patet. At enim vero sub data hypothesi de eo nec constat, nec constare potest; hincque, si casus decidendus incertus est, per applicationem legum de certo casu loquentium, casus decidi nequit. *Quod erat primum.*

Cum vero dentur leges, si non positivae, tamen certissime naturales (§. 13.), quae determinant quid iustum sit, si adest casus in quo occurrit quaestio facti, ita dubia, ut veritas certa haberri nequeat, quin & tum per applicationem earum legum casus incertus decidendus sit, nullum est dubium. *Quod erat secundum.*

### C

### §. XVII.

## §. XVII.

Hinc oritur primus casus decidendi modus, qui respicit casus incertos, quem appello DECISIONEM PRO AVCTORITATE vulgo das durchgreissen, & est decisio per quam iura & obligationes, quae in casu incerto obtinent, determinantur.

## §. XVIII.

*Si casus decidendus est certus, is per applicationem legum, in quibus certi casus decisi, est decidendus.* Si enim casus est certus, sivecum, cum nulla quaestio facti, a qua decisio dependet, ita dubia, ut veritas certa haberi nequeat, occurrat (§. 14.), qualis casus sit casus obuius constet, nulla adest ratio cur non, cum adsint leges, si non positivae, certissime tamen naturales (§. 13.), in quibus is decisus, per applicationem legum de tali casu, qualis est casus obuius, loquentium, ad facta decidendus sit, si casus decidendus certus est, per applicationem legum, in quibus certi casus decisi, est decidendus.

## §. XIX.

Hinc oritur secundus casus decidendi modus, qui respicit casus certos, quem appello DECISIONEM QVAE NON FIT PRO AVCTORITATE, & est decisio per quam iura & obligationes, quae in casu certo obtinent, determinantur.

## §. XX.

*Si casus obuius per applicationem legum naturalium ad facta decidendus est, decisio semper uno eodemque modo fit.* In relatione ad leges naturales enim omnes casus, in ipsis legibus decisi casus sunt (§. 13.); sivecum omnes eodem modo in

in legibus naturalibus sunt decisi. Quae cum ita sint, nec possunt modi decidendi casus differre, si per applicationem legum naturalium decisio facienda.

### §. XXI.

*Si casus obuius per applicationem legum posituarum ad facta decidendus, decisio non semper uno eodemque modo fieri potest, sed potius mox hoc, mox alio modo facienda, prout casus obuius vel decisus est in legibus posituis, vel non, & si decisus est, vel hoc, vel alio modo decisus est.* Casus enim in relatione ad leges positivas maxime differunt in eo, quod alii sint in iis decisi, alii non, alii hoc, alii alio modo sint decisi (§. 13.); vnde diuersitatem, in ipso eos decidendi modo obseruandam, oriri necesse est.

### §. XXII.

*Si casus obuius per applicationem legum posituarum est decidendus, nec tamen is casus in legibus posituis, quae applicari possunt, est decisus, decisio facienda est secundum leges naturales.* In qualibet republica enim, deficiente lege positiva, valet lex naturae, sicque, deficiente lege positiva, secundum eam casus decidendus est. At enim vero si casus decidendus in legibus posituis non est decisus, deficit lex positiva, non tamen deficiente lege naturali (§. 13.); hinc que patet veritas propositionis demonstrandae.

### §. XXIII.

Hinc oritur primus, casus per applicationem legum posituarum decidendos, decidendi modus, qui respicit casus in ipsis legibus posituis, quae applicari possunt, non decisos, quem casus decidendi modum appello DECISIONEM SECUNDVM ARBITRIVM IUDICIS, quae itaque est decisio, per quam iura & obligationes, quae in casu per appli-

plicationem legum posituarum decidendo, in iis autem non  
deciso, obtinent, determinantur.

#### §. XXIV.

*Si casus obvius per applicationem legum posituarum  
ad facta est decidendus, & casus decidendus est casus in legi-  
bus positivis, quae applicari possunt, decisus, casus decisio-  
voluntati legislatoris, per legem positivam declaratae, con-  
formiter facienda est: id quod per se patet.*

#### §. XXV.

Hic oritur secundus, casus per applicationem legum  
posituarum decidendos, decidendi modus, qui respicit ca-  
sus in lege positiva decisos, quem appello DECISIONEM  
SECUNDVM LEGEM seu secundum SECUNDUM  
LEGISLATORIS ARBITRIVM, & contradictrorie op-  
pono decisioni secundum iudicis arbitrium, quaeque est de-  
ciso, per quam iura & obligations, in casu in legibus po-  
sitivis deciso, determinantur.

#### §. XXVI.

*Si casus obvius per applicationem legum posituarum  
ad facta decidendus, est casus in legibus expressè decisus, tum,  
si est casus in terminis decisus, statim decisio legis, in qua  
casus in terminis obvius, verbis conformiter facienda. Si  
vero est casus in terminis non decisus, etiam decisio legis, in  
qua casus is decisus licet non in terminis, verbis conformi-  
ter facienda, nisi liquido constet, legislatoris verba non ac-  
curate eius voluntatem exprimere, sed potius verba plus ex-  
primere, quam legislator legem condens cogitauit. Tum  
enim voluntati legislatoris, de qua aliunde quam ex verbis  
constat, conformiter, a verbis legis recedendo, decisio facien-  
da est. Cum, quoties casus in legibus positivis decisus ca-  
sus*

sus est, voluntati legislatoris per legem expressae conformiter decisio sit facienda (§. 24.): & per se iam pateat, quod, si dicto in ipsa propositione modo, decisio casuum expresse decisorum fiat, sive sint in terminis decisi, sive non, ea semper voluntati legislatoris conformiter fiat, vltiori demonstratione non indiget propositio demonstranda.

### §. XXVII.

Hinc oritur primus casus secundum leges decidendi modus, qui respicit casus in lege expresse decisos, quem modum casus decidendi appello DECISIONEM SECUNDVM LEGEM IPSAM, & est decisio, per quam iura & obligaciones, quae in casu in legibus expresse iso obtinent, determinantur. Cum vero, prout ex §. . . . c. constat, in hoc decidendi modo nonnunquam decisio facienda verbis ipsis legis inhaerendo, nonnunquam vero a verbis ipsis recedendo; decisio secundum legem ipsam duplex est, prout nimirum fit vel verbis ipsis legis inhaerendo, quo casu eam appello DECISIONEM SECUNDVM STRICTVM IVS: vel a verbis legis recedendo, in quo casu eam appello DECISIONEM SECUNDVM AEQUITATEM.

### §. XXVIII.

*Si casus per applicationem legum positivarum ad facta decidendus, isque est casus in legibus positivis quidem, ast non nisi tacite seu occasione legis decisus, tum, si est casus per casum dissimilem decisus, per ratiocinia ex lege, in qua casus dissimilis decisus est, noua propositio per legitimam consequentiam eruenda est, quae casum decidendum tanquam individualium sub se continet, quo facto haec, tanquam noua lex, ad factum applicanda, sicque casus decidendus. Si vero est casus per casum similem decisus, formata de similitudine*

*ne iudicio, eodem modo peragenda est decisio, quo peragenda est, si casus est casus in lege expresse, & quidem in terminis, decisus.* Est enim omnis decisio casuum in legibus decisorum voluntati legislatoris conformiter facienda (§. 24.). Si vero casus tacite per casum dissimilem decisus, & tum dicto in ipsa propositione modo procedit casum decisurus, per se patet, quod voluntati legislatoris conformiter decidatur casus, cum qui admittit principia, eum etiam admittere principiata praesumendum sit; hincque pater verum esse. *Quod erat primum.*

Cum vero itidem leglatorem idem, quod in uno casuum similium juris esse expresse voluit, etiam in altero iuriis esse velle praesumendum sit, formato de casuum similitudine iudicio, idem est ac si casus decidendus esset casus in lege expresse in terminis decisus; hincque tum eodem modo decisio facienda est, quo peragenda, si casus decidendus est casus in lege expresse, & quidem in terminis, decisus. *Quod erat secundum.*

### §. XXIX.

Hinc oritur secundus casus secundum leges decidendi modus, qui respicit casus in lege tacite seu occasione legis decisos, quem appello DECISIONEM SECUNDVM ARGUMENTVM LEGIS seu EX LEGE, & est decisio per quam iura & obligationes, quae in casu in legibus tacite decisio obtinent, determinantur. Cum vero, prout ex §. *praec.* constat, haec decisio aliter fiat, si casus certus in legibus tacite decisus per casum dissimilem, aliter si per casum similem tacite decisus, seu quod idem est, vel praevia ratiocinatione ex lege, vel praevio simplici iudicio de casuum similitudine fiat, ea subdividenda est in DECISIONEM SECUNDVM ARGUMENTVM.

**MENTVM LEGIS IN SPECIE SIC DICTAM**, quae est decisio per quam iura & obligationes, quae in casu tacite per casum dissimilem deciso obtinent, determinantur, & **DECISIONEM SECUNDVM ANALOGIAM**, quae est decisio per quam iura & obligationes, quae in casu tacite per casum similem deciso obtinent, determinantur.

Ex his, quae haestenus de variis casuis decidendi modis dicta sunt, patet, decisionem casuum esse 1) vel *decisionem pro auctoritate*, vel non : 2) vel *decisionem secundum arbitrium iudicis*, vel *decisionem secundum legem*, seu *arbitrium legislatoris*. Decisionem secundum legem vero, vel esse decisionem *secundum legem ipsam*, vel *decisionem secundum argumentum ex lege*; & quidem in priori casu eam vel esse decisionem secundum *strictum ius*, vel decisionem secundum *aequitatem*: in posteriori casu vero, vel decisionem secundum *argumentum ex lege in specie sic dictam* vel decisionem secundum *analogiam*. Singuli hi casus decidendi modi merentur, si quod meum est iudicium, ut speciatim pertracentur. Et si enim non desint scripta, in quibus speciatim de hoc vel illo modo decidendi agitur, quorum 1) **MANZELII** Dissert. de *decisionibus quae sunt pro auctoritate*, Rostochii habita 1743. 2) **EIVSDEM** Dissert. de *limitibus iustitiae, aequitatis, arbitrii iudicis & iuris aggravandi*, ibid. a 1738. habita; 3) **KRESSII** Dissert. de *summo iure iniuria summa*, Helmst. 1713. 4) **EIVSDEM** Dissert. de *aequitate*, ibid. 1731. 5) **Adriani BEIERI** Dissert. de *prudentia supra legem*; 6) **KRAVSSII** Dissert. de *arbitrio iudicis restricto*, Witteb. 1732. 7) **KVLPISSI** Oratio de *analogia iuris*, quae in eius dissertationibus iunctim editis ultimum occupat locum; 8) **HOEFLERI** Diss. de *iuris prudentiae analogiae fundamentis*, Altorfii a 1742. 9) **SLEVOGTII** Diss. de *argumentis legum caute formandis*, Lenae a 1717. 10) **FRIESLEBEN**, Progr. de *ratiocinatione ex argumento legis*. 11) **LVDWIGII**, Obs. von dem Schnitter. Urtheil eines Richters in den gelehrten Anzeigen, Tom. I. p. 833. **LVDOVICI** Dissert. de *ICto sine lege loquente*, Halae 1700. &c. &c. referri possunt, multa tamen adhuc dici possent, de singulis his decidendi modis, quae dicta

dicta nondum sunt. I. Mihi vero sufficit indicasse hos diuersos decidendi modos, nec licet iam tractationem specialem de hoc vel illo decidendi modo addere. Vnde tantum coronidis loco sequentes adhuc subiicio obseruationes. I. Cum, quae in tota dissertatione dicta sunt, ex natura legum sive naturalium, sive posituarum fluant; quae dicta sunt non in Germania solum, sed potius in qualibet republika locum habere, nemo dubitabit. II. Cum omnes casus in foro obuios aut certos, aut incertos; vt & aut casus in legibus vel decisos, vel non decisos esse necesse sit; datam de variis casus in foro obuios decidendi modis theoriam completam esse, facile patet. III. Cum pro lege hic substitui possit legitima hominum dispositio, veluti pactum seu testamentum, quippe quae legem facit inter partes: quae dicta sunt de variis casus decidendi modis quoad leges positivas, ea omnia etiam locum habent, si pro lege positiva substituis pactum seu testamentum. Tandem etiam IV. adhuc notandum est, modos decidendi casus in foro obuios, & modos demonstrandi veritates iuridicas differre, licet in nonnullis conueniant; prout ex collatione eorum, quae hic de variis decidendi casus in foro obuios modis dicta sunt, cum iis, quae CONS. DN. PRAESES in libello cui titulus: *Urvorgreifliche Gedancken von dem heutigen Zustand der bürgerlichen und natürlichen Rechts-Gelahrtheit in Deutschland &c.* Sect. 1. Cap. 3. §. 33 seqq. de variis demonstrandi veritates iuridicas modis dixit, statim patet.

## T A N T V M.



s deci-  
el illo  
es ad-  
atione  
duant;  
repu-  
n foro  
l deci-  
n foro  
patet.  
olitio,  
r par-  
es po-  
stituis  
n est,  
di ve-  
x col-  
s mo-  
o cui  
l der  
l &c.  
idicas


02 H 606

ULB Halle  
003 095 215

3







W 436

DISSERTATIO IVRIDICA

D E

ARIIS CASVS IN FORO  
OBVIOS DECIDENDI MODIS  
IN GENERE

Q V A M

P R A E S I D E

VIRO CONSULTISSIMO ET EXCELLENTISSIMO

DANIELE NETTELBLADT

POTENTISS. BORVSSOR. REGI A CONSILIIS AVLICIS

PROFESSORE IVRIS ORDINARIO

D. V. SEPT. MDCCCL.

PUBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTET

AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTIANVS LVCAS WERNER

HASSO-MARBURGENSIS.

HALAE MAGDEBURG. LITTERIS HENDELIANIS.

3)